



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. I. Quando cœperit institutio Baptismi, & illius præceptum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

sanctificandi combibunt. Sed demum nolo hic deesse quæ Ambrosius in huius sacramenti laudes effusus scripsit, & huic præfatum cula finem imposuit, Sanctissimæ Presulis verba usurpo, quæ pene sapiant hominem in extasim raptum, & qui sacramenta Ecclesiæ pro meritis assumat: O aqua quæ humano sanguine, ut præsentium lavacrorum figura præcederet, orbem terrarum lavisti, & conjungenda eras cum sanguine Christi! &c. O aqua quæ sacramentum Christi esse meruisti, quæ lavas omnia, nec lavaris! Tu incipis prima, tu complex Divina Mytheria; à te principium, in te finis, vel potius tu facis ut finem nesciamus! De hoc ergo sacramento, quod SS. Patres tot & tam præclaris encomiis celebrant, breviter nobis hic agendum est. Primò de ejus institutione & natura. Secundò de illius ministro. Tertiò de suscipientibus. Quartò de ejus effectibus. Quintò de circumcissione, quæ Baptismum præcessit, & quæ etiam in remedium peccati originalis instituta fuit. Demum de sacramento Confirmationis (quod Ambrosius in libro 2. contra Iulianum Petilianum cap. 104. quædam sacramentum Chrismatismis appellat, & in genere visibilium signorum sacramentum esse, sicut ipsum Baptisma, affirmat) in ultima disputatione sermo erit.

Libro 2.
contra
Iulianum
Petilianum
cap. 104.

DISPUTATIO PRIMA.

De Institutione & natura Baptismi.

Ad quæstionem 66. Divi Thomæ.

UM existentia Baptismi ab ejus institutione dependeat, recto ordine ab ea inchoat S. Thomas, explicaturus postea quanam sit ejus materia & forma, quandoquidem cujuslibet sacramenti essentia, seu natura, resultat ex materia & forma, quæ ipsum constituunt. Unde Baptismus physice sumptus definitur: Exterior corporis obitus, facta sub præscripta forma verborum, ut ex Magistro sententiarum docet S. Doctor hic art. 1. metaphysicè verò consideratus, sic potest describi: Baptismus est sacramentum regenerationis spiritalis. Vel sacramentum novæ legis, ad spiritualis regenerationem à Christo institutum. Hoc præmissis, sit

A illud tempus in quo Christus cælum post resurrectionem ascensus dixit Discipulis, *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* Ita docuisse videntur Albertus Magnus in 4. dist. 3. & Alensis 4. parte quæst. 8. membro 2. art. 3.

Secunda asserit sacramentum Baptismi à Christo institutum fuisse, paulò postquam à Joanne baptizatus est: vel quando dixit Nicodemo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, ut censet Valentia, aut cum Discipulos collegit, ut existimant Scotus, Gabriel, Coninchus, & alij Recentiores.

Tertia censet Baptismum fuisse institutum, quando Christus in Jordane fuit baptizatus. Ita Magister in 4. dist. 2. & D. Thomas hic art. 2. omnesque ejus Discipuli, quos sequuntur Vazquez, Sylvius, & alij quindecim Authores, quos refert & sequitur Leander Tractatu 2. disputatio 1. quæst. 4. & 5.

2. Quantum verò ad tempus quo Baptismus fuit in præcepto, similiter est opinionum varietas: quidam enim quorum meminit D. Bernardus Epistolâ 77. asseriebant olim, quod Baptismi præceptum ab eo tempore cœperit, quo Christus dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* Scotus verò, Estius, Suarez, & alii, docent è contra Baptismum non fuisse in præcepto usque ad sufficientem Evangelii promulgationem: quæ promulgatio (inquit Scotus) cœpit in die Pentecostes. Demum Sotus, Cabrera, Vazquez, & alij existimant, obligationem Baptismi incœpisse statim post passionem & resurrectionem Christi, quando nimirum Christus apparens Discipulis, legem Baptismi publicè

ARTICVLVS PRIMVS.

Quando cœperit institutio Baptismi,
& illius præceptum?

§. I.

Premittitur quod apud omnes est certum,
& referuntur sententia.

Certum est quod Christus non instituit sacramentum Baptismi, antequam à Joanne baptizaretur, quandoquidem non ante cœpit Evangelium prædicare, & novam legem condere: sed difficultas est, an solum per resurrectionem, vel cum à Joanne Baptismum suscepit, vel aliquo alio tempore medio inter illa duo, ipsum instituerit?

1. Prima opinio rejicit institutionem Baptismi in

publicè promulgavit, dicendo Matthæi ultimò, *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.*

§. II.

Resolvitur prima difficultas de institutione Baptismi.

Dico primò: Sacramentum Baptismi fuit à Christo institutum ante ejus passionem.

3. Probatur primò: Christus ab initio prædicationis suæ baptizabat, ut testatur Scriptura Joan. 3. his verbis: *Venit Jesus & Discipuli ejus in terram Judæam, & illis demorabatur cum eis, & baptizabat, scilicet per Discipulos suos, ut ex ipso contextu satis intelligitur, & expressè docetur à Cyrillo libro 2. in Joan. cap. 57. Sed tunc Christus per Discipulos suos non baptizabat Baptismo Joannis: Ergo Baptismo suo, subindeque jam Baptismum suum instituerat, quandoquidem ejus usus necessario supponit ipsius institutionem. Major patet, Minor verò probatur primò ex Glossa super hæc verba Joan. 3. nam post verba relata subdit: *Baptizabat suo Baptismo, non eo quo baptizatus est, illud enim subit, ut esset via & præparatio.**

Secundò probatur ex Augustino Tractatu 13. in Joan. ubi sic ait. *Christus baptizatus baptizabat: non eo Baptismo baptizabat quo baptizatus est. Dat Baptismum Dominus baptizatus a servo, ostendens humilitatis viam, & perducens ad Baptismum Domini, hoc est ad Baptismum suum.*

Tertiò, Ipse Præcurzor Baptista Joan. 1. & Matth. 2. differentiam assignat inter suam Baptismam, & illum quo Christus baptizabat, quòd ipse in aqua, Christus verò etiam in Spiritu Sancto baptizaret: Ergo baptizabat Christus Baptismate diverso à Baptismo Joannis.

Quartò, Discipuli Joannis æmulationem conceperunt, & conquesti sunt, quod Jesus baptizaret, ut narratur Joan. 3. Ergo supponebant Christum non baptizare Baptismo Joannis; aliàs enim gaudij potius quàm æmulationis occasionem desumpissent, videntes quod Christus Baptisma Joannis approbaret, & clarum faceret.

Denique, Christus Joan. 3. dicitur baptizasse, per Discipulos suos, ut supra ex Cyrillo vidimus: Sed si Discipuli Christi baptizassent Joannis Baptismate, Christus dici non potuisset baptizare per suos Discipulos, sed potius ipse Joannes, utpote author illius Baptismi: Ergo Christus ab initio prædicationis suæ non baptizabat Baptismo Joannis, sed Baptismo proprio, subindeque illud tunc erat institutum ab ipso.

Dices, Baptismum quem tunc dabat Christus non fuisse Baptismum Joannis, neque suum, sed aliquid veluti simulachrum, sive præambulum ipsius.

Sed contra primò: Gratis omnino id fingitur. Secundo, Baptismus quo Christus baptizabat, erat in aqua & Spiritu Sancto, juxta Joannis prædicationem, Matth. 3. Ergo erat idem quòd nunc. Tertiò, Christus non venerat alias signas adducere, sed potius veritatem stabilire figurarum, ex quibus multa Baptismum Evangelicum præsignaverunt. Denique, nullus Baptismus alius à nostro, erat dignus tanto tamque excellenti autore, sicut erat Christus.

4. Probatur secundò conclusio: Baptismus secundum legem à Christo Domino institutus præponitur aliis sacramentis, & medio ipsius characteris, effectus aliorum sacramentorum in anima

recipiuntur: Sed Christus Dominus in nocturnæ ministravit Eucharistiam suis Apostolis, etiam initiavit ordine sacerdotali, ut declarat Tractatum sess. 22. cap. 1. Ergo prius Apostoli fuerunt ab ipso baptizati, subindeque Baptismus institutionem Christi fuerat institutus.

Confirmatur: Circumcisio fuit instituta ante omnia alia legis scripta sacramenta, nec ideo nisi circumcisis Agnum Paschalem edere: Et similiter Baptismus correspondens circumcisio ante Eucharistiam, Agno Paschali succedens institutus est, subindeque ante passionem Christi. Et licet Christus ejusmodi ordinem involvere potuerit, dando alia sacramenta Apostolorum dum baptizatis, nullum tamen fundamentum neque in Scriptura, neque in Traditione, nec in congruentia, imò per se videtur incongruum prius Apostolos fuisse Sacerdotes & Episcopos quam baptizatos.

Dices, Sacramentum Ordinis præsupponit sacramentum & characterem Confirmationis, tamen in hoc ordine dispensavit Christus, ordinando Apostolos nondum confirmatos, si quidem fuerunt solum confirmati in die Pentecostes, octavo die post Ascensionem Christi in caelum, in Spiritu Sancto visibiliter.

Respondet cum D. Thoma infra quæst. art. 1. ad 1. in sacramento Confirmationis duntaxat multitudinem Spiritus Sancti, quam non erat congruum communicari ante Ascensionem & glorificationem Christi, juxta illud Joan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*: unde Christus habuit specialem rationem dispensandi in ordine quem sacerdotum dicitur Confirmationem, ante suam passionem institui Apostolos sacerdotio; non habuit autem specialem aliquam rationem invertendi ordinem, quod dicit ad Baptismum.

Denique suaderi potest conclusio ex Patribus & Authoribus Ecclesiasticis, qui affirmant ipsum Christum suis manibus aliquos baptizasse, nam Enodius Episcopus Antiochenus, in Epistola quam lumen inscripsit, apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. ait: *Christus manibus suis Petrum tummodo baptizavit, Petrus verò Andream, & filios Zebedæi.* Clemens apud Sophronium in Prato spirituali cap. 76. inquit: *Christus dicitur Petrum solum baptizasse: Petrus Andream, Iacobum, & Joannem.* Adait Euthimius Joann. Scribunt Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum ac Virginem Matrem baptizaverit. Item S. Vincentius Ferrerius sem. 1. serm. 1. post Dominicam in passione ait: *Joannes baptista & Virgo Maria voluerunt baptizari à Christo.* Denique D. Augustinus Tractatu 5. 17. dicit in Joan. nec non Epistolâ 108. explicans verba Christi ad Petrum: *Qui lotus est, non debet iterum ut pedes lavet*, dicit Christum idcirco talia verba Petro dixisse, quia Petrus jam lotus erat per Baptismum: Ergo sacramentum Baptismi ante Christum institutum ante ejus passionem.

Dico secundò, Baptismum fuisse institutum, quando Christus in Jordane baptizatus est.

Probatur ratione quam habet D. Thomas lib. 4. art. 2. Cum sacramenta ex sui institutione habeant quod conferant gratiam, tunc videtur ut quod sacramentum institui, quando accipit virtutem producenti gratiam: Sed hanc virtutem accepit Baptismus, quando Christus in Jordane baptizatus est: Ergo tunc fuit institutus à Christo. Major patet, Minor probatur primò ex D. Augustino

Augustino serm. 3. Dominica infra octavam Epiphaniae, in quo sic legitur: *Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua.* Secundo ex D. Ambrosio lib. 2. in Lucam cap. ultimo, sic loquente: *Baptizatus est ergo Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut abluta per carnem Christi, quae peccatum non cognovit, Baptismatis jus haberent.*

Dices cum Adversariis: Ex his & aliis Patrum testimoniis solum probari, quod Christus ex tunc aquis dederit in promissione vel destinatione, non vero in institutione, vim spiritualiter regenerandi: id est quod promiserit quidem institutionem Baptismi, siue destinaverit Baptismum postea instituendum, sed non quod illud ex tunc instituerit.

Sed contra: Si Christus tunc solum promississet Baptismum, siue aquam in futurum Baptisma designasset tantum, non vero ipsum Baptisma institueret, falso dixisset Augustinus: *Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua.* Non enim potuit aqua habere hunc effectum, antequam esset institutum Baptisma.

Deinde, Si ex vi praecise promissionis Baptismi facta à Christo, aqua posset dici accepisse jus Baptismatis, & virtutem omnium peccata abluendi similiter cum Matthaei 16. & 18. Christus promittit Apostolis potestatem clavium dicens: *Quaecumque alligaveritis super terram, &c.* dici possent Apostoli accepisse illam potestatem, siue jus & virtutem remittendi peccata, quod tamen est falsum, quia tunc solum acceperunt eam de facto, quando Joannis 20. dixit eis Christus: *Quorum remiseritis peccata, &c.* Similiter sequeretur ex eadem Adversariorum responsione, ex tunc aquam jus Baptismi & vim sanctificandi accepisse, quando Joannes Baptista antequam baptizaret Christum, praenunciavit de eo Matthaei 3. *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto*: talis enim promissio fuit divina, quia nomine Dei facta.

Probat secundò conclusio: Nullum habent fundamentum Adversarij, ad asserendum Christum potius post suum baptismum, quam in ipso, sacramentum Baptismi instituisse, aliunde verò congruentia saltem non desunt, ad docendum e contra talem institutionem factam fuisse in Jordane, quando Christus à Joanne baptizatus est: Ergo ita potius dicendum. Consequentia patet, Antecedens verò probatur. In primis totum fundamentum Adversariorum sunt illa verba Christi ad Nicodemum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* & missio statim postea facta Discipulorum ad baptizandum: illa autem verba non magis probant, quando prolata sunt à Christo, institutum fuisse sacramentum baptismi, quam ista Christi ad Discipulos & Judaeos: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* probent ex tunc institutum fuisse Eucharistiam; in quorum tamen prolatione certum est non fuisse institutum tale sacramentum. Quod verò Christus statim post eorum prolationem Discipulos miserit ad baptizandum, probat quidem Christum debuisse ante illam missionem instituisse sacramentum Baptismi, sed non probat, quod potius post suum Baptisma, quam in ipso illud instituerit: Nullum ergo est fundamentum opinionis adversa.

Quod verò saltem congruentia non desint, patet primò, quia mysterij Trinitatis confessio pro forma Baptismi tradita est: in Baptismo autem Christi, tale mysterium declaratum fuit;

Tom. V.

vox enim Patris audita est, Spiritus Sanctus in specie columbae apparuit, & ipse Christus in propria persona adfuit. Secundò, quia tunc indicatus fuit Baptismi effectus, per apertionem coelorum; significabat enim hac apertio, Baptismum esse veluti clavem coeli, & de sacro fonte animas in caelum immediatè evolare posse: Ergo congruè dici potest, sacramentum Baptismi tunc fuisse institutum.

Præterea, sicut non immediatè per mare rubrum, sed per Jordanem, in terram promissionis Judaei ingressi sunt: ita congruum fuit, Christum in Jordane Baptismum instituere, ut denotaret ex aquis Baptismatis dari transitum immediatum ad promissam coeli patriam. Itaque secundum hanc probabilior opinionem, institutio Baptismi facta est anno 15. imperij Tiberij Caesaris, ætatis Christi anno circiter trigésimo, & ut communiter existimatur, die sextâ Januarij, quâ Epiphaniam celebramus. Unde S. Maximus homil. 1. de Epiphania: *In hac (inquit) festivitate sicut relatu paterna traditionis instrumur, multiplici est nobis festivitate latandum. Ferunt enim hodie Christum Dominum nostrum, vel stellâ duce à Gentibus adoratum, vel in vivarium ad nuptias aquas in vinum vertisse, vel suscepto à Joanne Baptismate, consecrasse flumina Jordani, suumque simul purificasse Baptismam.*

§. III.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem in primis objectionibus possunt testimonia D. Leonis, Ruperti, & aliorum sanctorum Patrum, qui docere videntur, sacramentum Baptismi non fuisse à Christo institutum, nisi post ejus Resurrectionem.

Sed ad hæc facile respondetur, vel illos sanctos Patres id solum obiter & dum aliud agerent dixisse, ac proinde non mirum, si hac in re minus probetur eorum sententia. Vel solum voluisse Baptismum ante Resurrectionem Christi non fuisse institutum, quantum ad obligationem illud suscipiendi, vel quantum ad plenam ejus efficaciam, quia ante Christi Resurrectionem, Baptismus nec fuit in præcepto, nec habuit virtutem aperiendi januam coeli, cum talem virtutem non nisi per passionem Christi habuerit.

Objicies secundo: Forma Baptismi non fuit data Apostolis nisi post Resurrectionem, cum Christus dixit illis Matthaei ultimo, *Omnes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Ergo Baptismus ante non fuit institutus.

Respondeo negando Antecedens: forma enim Baptismi ante passionem Christi jam erat instituta, & Apostolis tradita in privato, licet nondum in publico.

Objicies tertio: Baptismus suam virtutem habet à passione Christi: Ergo ante illam institutus non fuit.

Confirmatur: Augustinus Tractatu 15. in Joannem asserit quod de latere Christi sacramenta Ecclesiae fluxerunt: Ergo ante passionem Christi non erant, subindeque nec Baptismus.

Ad objectionem respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam: nam quando baptizatus est Christus, passio illius jam erat inchoativè, tum quia omnis poenaltas quam Christus toto vitæ suæ decursu pertulit, fuit quædam passio, & dispositio ad ultimam passionem, quæ morte ipsius consummata fuit. Tum etiam

P

quia

quia Christus à primo instanti suæ Incarnationis, liberâ voluntate præceptum patiendi & moriendi pro hominibus accepit, & acceptando meruit.

18. Ad confirmationem in primis dico, illam si quid probet, nimis probare; ex ea enim sequitur, etiam sacramentum Eucharistiæ non fuisse institutum ante mortem Christi. Deinde respondeo, omnia sacramenta legis novæ fluxisse de latere Christi, cum hac tamen differentia, quod Confirmatio, Pœnitentia, Extrema Unctio, & Matrimonium, non tantum quoad suam perfectionem, sed etiam quoad suum initium; sacramenta verò Baptismi, Eucharistiæ, & Ordinis, præcisè quoad suam perfectionem, dici possint inde fluxisse: Licet autem ista tria sacramenta, suam consummationem, & ultimam perfectionem, in morte actuali Christi acceperint, quatenus scilicet Baptismus per Christi mortem regni cælorum janua aperuit, quam ante non aperiēbat, & Eucharistia habuit rationem viatici, quam non habebat antea, ipsumque proinde sacramentum Ordinis, ad illam ut talem ordinem habere cœperit; tamen virtutem gratiæ productivam, jam à Christo in Jordane baptizato acceperat Baptismus, & Eucharistia, cum sacramentum Ordinis, in cena ultima, pridie quàm Christus pateretur celebrata.
19. Obijciens quartò contra secundam conclusionem: Cùm Christus baptizaretur à Joanne, non instituit suum baptismum in actu exercitò quemquam baptizando, neque in actu signato, ritum ejus præscribendo, utpote cùm nihil præscripserit, neque Pater apparuerit, ut aliquid præscriberet: Ergo tunc baptismum non fuit institutum.
20. Confirmatur: Instituire sacramenta, est formaliter actus legislatoris: Sed Christus tunc non sustinuit personam legislatoris, sed potius pœnitentis: Ergo tunc sacramentum baptismi non instituit, sed tantum suscepit baptismum Joannis.
21. Ad objectionem respondeo, Christum in Jordane suum baptismum instituisse, non in actu exercitò aliquem baptizando, aut ipsum suscipiendo, sed in actu signato, designando & consecrando materiam ad producendum gratiam, & statuendo formam, non quidem expressione ipsius, sed solum quasi in figura, per præsentiam Trinitatis divinarum personarum in signo visibili, ut supra diximus.
22. Ad confirmationem nego Majorem, aliud enim est præcipere baptismum, aliud ipsum instituire: primum non potest non esse actus legislatoris, bene tamen secundum; posset enim Deus tribuere uni facultatem instituendi sacramenta, aut ritus eorum, alteri potestatem præcipiendi observantiam talium rituum.
23. Respondeo secundò, datâ Majori, negando Minorem: Christus enim in sua passione sustinuit personam pœnitentis, sive peccatoris, quando quidem in ea factus est pro nobis maledictum & peccatum, ut loquitur Paulus 2. ad Corinth. 5. & ad Galat. 3. & tamen simul fuit legislator, antiquam legem abrogans, dum dixit, *Consummatum est*, ut novam conderet.



Expediunt alia difficultas de tempore quo tempore obligatio Baptismi.

Dico tertio, Baptismus non fuisse institutus, nisi post Passionem & Resurrectionem Christi. Ita D. Thomas hic art. 2. sic dicitur: *Necessitas utendi hoc sacramento indistincta fuit hominibus post passionem & Resurrectionem: tum quia in Passione Christi terminata sunt figurae veteris legis, quibus succedit Baptismus, & alia sacramenta, quibus succedit Resurrectio Christi, in quantum moritur peccato, incipit novam vitam, & ideo oportuit Christum prius pati, & surgere, quàm hominibus indicere necessitatem configurandi morti & Resurrectioni ejus.* Quibus verbis S. Doctor conclusionem nostram & corroboret & probavit, duplicemque illius rationem sinuavit.

Prima est: Baptismus non fuit in præcepto illo tempore quo vigeat lex Circumcisionis: Sed lex Circumcisionis vigeat toto tempore antecedente mortem & resurrectionem Christi: Ergo toto illo tempore Baptismus non fuit in præcepto, sed solum in consilio. Major patet, Minor probatur. Lex Circumcisionis tandiu duravit, quandiu lex Moysis: Sed lex Moysis, cui Evangelica successit, sicut lux umbræ, & veteris figuræ, usque ad Christi passionem & Resurrectionem duravit: Ergo & lex Circumcisionis Major est evidens: Minor verò, in qua est difficultas, probatur multipliciter. Primò ex eo quod Christus Matth. 8. leproso curato præcepit eum sacerdotem, ut secundum legem munus offerret quod Moyses mandaverat. Secundò, quia Christus Matth. 5. dixit, *Non veni legem solvere, sed implere*: Non fuit autem adæquate implenda, quam jam expiraturus diceret, *Consummatum est*. Tertio, Obligatio fuit usque ad Christi passionem, ut Agnus paschalis immolaretur, & sic Christus fecit, ut patet ex historia cena ultimæ: Ergo obligavit lex vetus usque ad Christi passionem.

Quartò, Lex Moysis duravit quousque sacerdotium fuit translatum, juxta illud ad Heb. 9. *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatum sit*: Sed sacerdotium non fuit translatum usque ad passionem, in qua Christus tanquam summus sacerdos obtulit semetipsum Patri in sacrificium: Ergo lex Moysis usque ad passionem Christi duravit. Denique, eadem veritas patet ex doctrina Augustini Epist. 19. ad Hieronymum, ubi distinguit tria tempora respectu legalium, scilicet ante passionem, in quo legalia non erant mortifera, nec mortua; post Evangelij divulgationem, in quo legalia erant mortua, & mortifera; & medium in passione Christi usque ad Evangelij promulgationem, in quo legalia erant quidem mortua, quia neque habebant aliquam vim, neque aliquis ea servare nebat absolute, non erant tamen mortifera, illi qui conversi fuerant ad Christum ex Juda, poterant ea observare licite, dummodo non facerent eis spem ponerent, quod ea reputarent sibi necessaria. Et quamvis S. Hieronymus in eo differat à D. Augustino, quod contendit legalia statim post mortem & resurrectionem fuisse necesse mortifera, sed etiam mortifera, adeo ut quicunque ea servasset (seclusâ ignorantia, aut errore invincibili) peccasset: in eo tamen consentit, quod existimatur, tempore passionem antecedente, nec mortifera fuisse, nec mortua.

Secunda ratio D. Thomae sic potest proponi. Tunc solus Baptismus cepit esse in praecepto, quando cepit habere totam suam perfectionem, quando enim illa caruit, tunc praeceptum non debuit. Sed ante Christi mortem & resurrectionem, Baptismus totam suam perfectionem non habuit. Ergo ante illud tempus in praecepto non fuit. Major patet, Minor probatur. Una ex perfectionibus Baptismi est ut nos configuret morti & resurrectioni Christi, ut docet Apostolus ad Roman. 6. his verbis: *An ignoratis quia qui cumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitae ambulemus, si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* Sed ante Christi mortem & resurrectionem, Baptismus non poterat configurare hominem morti & resurrectioni Christi: Ergo nec totam suam perfectionem, seu completam significationem habere.

Præter has duas rationes quas insinuat D. Thomas, potest suaderi conclusio hoc discursu. Si Baptismus fuisset præceptum ante passionem Christi, maxime cum Christus Joan. 3. dixit Nicodemus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Sed tunc non fuit præceptum, siquidem Christus habebat tunc colloquium privatum cum Nicodemus: præceptum autem Baptismi non debuit dari in colloquio privato, sed publico: Ergo &c.

Uero quartò: Probabilis est, obligationem Baptismi incepisse post Resurrectionem Christi, quando scilicet Christus apparens Discipulis, legem Baptismi publicè promulgavit, dicendo: *Dacite mihi omnis potestas in celo & in terra. Euntis ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Probatum primò conclusio ratione fundamentali: Cum Baptismus sit fundamentum totius legis Evangelicæ, ejus obligatio cepit, statim atque lex Evangelica incepit obligare: Sed lex Evangelica cepit obligare statim post Christi Resurrectionem: Ergo & Baptismi præceptum. Major patet, Minor probatur. Lex Evangelica cepit statim obligare, ubi Moisaica fuit extincta, illius enim generatio debuit esse ex corruptione istius: Sed lex Moisaica non duravit usque ad promulgationem Evangelij, sed fuit penitus extincta quoad omnem suam vim in morte & resurrectione Christi: Ergo lex Evangelica cepit obligare statim post mortem & resurrectionem Christi. Major est evidens, Minor verò probatur primò ex communi consensu Hieronymi & Augustini in Epistolis quas scribit de legalibus scribere, quibus docent post mortem & resurrectionem Christi, legales caeremonias mortuas fuisse, id est vim justificantem amisisse, quamvis (ut supra annotavimus) Hieronymus existimaverit, illas post mortem & resurrectionem Christi, nedum mortuas sed etiam mortificatas fuisse. De quo infra.

Secundò probatur eadem Minor ex illo Apostoli ad Hebræos 8. *Novum testamentum vetera prius: quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.* Ex quo sic potest formari argumentum: Christus in cena ultima novum condidit testamentum, quod morte deinde & resurrectione sua confirmavit: Ergo vetus quasi senio jam confectum, accedente tunc novo, extinctum est. Unde Leo Magnus sermone 7. de passione: *Ut umbra cederet corpori, antiqua observan-*

Tom. V.

tia novo excluditur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguine sanguis auferitur, & legalis festivitas, dum mutatur, impletur.

Tertiò Minor principalis suadet. Ubi primò antiquum sacerdotium Aaron perfectè translatum fuit in sacerdotium Christi, præfiguratum in sacerdotio Melchisedech, statim fuit abolita lex vetus, cum suis caeremoniis: unde Apostolus ad Hebræos 7. *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat:* Sed statim à resurrectione Christi, sacerdotium Aaron perfectè translatum fuit in Christi sacerdotium, ut colligitur ex illo ad Hebræos 9. *Christus assistens Pontifici futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est non hujus creationis, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione vendita.* Tum etiam, quia licet ulque ad Christi resurrectionem, sacerdotium Aaron, non fuerit evacuatum, tamen ex quo Christus resurgendo vitam in mortalem atque indefectibilem reassumpit, totaliter fuit evacuatum, & in sacerdotium Christi translatum: propter quod ad ejus interitum devotandum, Christo moriente, velum templi scissum est, & Leo Magnus serm. 6. de passione, Caypham velles proprias scindentem, quasi Christus blasphemasset, leprose irridet, dicens, Pontificem legis mox interiturum, per hanc vestium suarum scissuram, ostendisse se jam sui sacerdotij honore spoliandum.

Respondet Suarez, quod licet à die resurrectionis Christi lex Moisaica evacuata fuerit, nondum tamen Baptismus fuisse in præcepto, sed ulque ad sufficientem ejus promulgationem, totum mundum redactum fuisse ad statum legis naturæ, & remedia salutis quæ in illa erant, suam utilitatem non amisisse; quia non erant umbra futurorum, sicut veteres caeremonie legis Moisaicæ, sed quasi connaturalia & per se ordinata media ad salutem.

Sed contra: Christus non venit veterem legem solvere, sed adimplere, ut dicebat ipse Matth. 5. si autem legem Moisaicam evacuasset, antequam cœ, pisset lex Evangelica, non eam adimplerisset, sed solvisset, quia impletio veteris legis, fuit introductio novæ. Unde Leo Papa serm. 7. de passione: *Antiqua observantia novo excluditur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguine sanguis auferitur, & legalis festivitas, dum mutatur, impletur.* Ad do quod, populus Judaicus fuit specialiter populus Dei, quandoquidem plebs Gentilis pertinebat etiam ad statum legis naturæ. Præterea, sicut in naturalibus corruptio unius, est generatio alterius; ita lex antiqua non fuit abolita, nisi per obligationem novæ legis.

Potest etiam suaderi conclusio, destruendo fundamentum adversæ sententiæ: Si Baptismus non cepisset esse in præcepto à die resurrectionis Christi, maxime quia, ut volunt Adversarij, lex non obligat, nisi postquam venit in notitiam subditorum; legis autem Evangelicæ notitia cepit tantum à die Pentecostes in provincia Judææ. Sed falsum omnino est, quod lex non obliget, nisi postquam venit in notitiam subditorum: licet enim excusentur ab ejus transgressione qui eam invincibiliter ignorant, tamen tunc per se obligare incipit, cum primum publico edicto a Principe ponitur: imò si lex neminem obligaret, quoadusque veniret in ejus notitiam, improprie ignorantia legis diceretur excusare, quandoquidem excusatio non est, nisi ab eo ad quod homo tenetur:

P ij cum

cum ergo in ipso die resurrectionis Christus apparet Discipulis legem Baptismi publicè promulgaverit, dicendo Matthæi ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* ab illa die cœpit Baptismus esse in præcepto, licet illi qui invincibiliter adhuc ipsum ignorabant, excusarentur ab ejus transgressione.

§. V.

Corollarium præcedentis doctrinæ.

35. **E**X dictis inferes contra aliquos Thomistas, à Cabrera citatos, obligationem Baptismi non incepisse in triduo mortis Christi, sed durat post ejus resurrectionem. Tum quia solum post resurrectionem Christus legem Baptismi publicè promulgavit. Tum etiam, quia cum lex vetus non solum passionis & mortis Christi, sed etiam ejus resurrectionis figura & umbra extiterit, ante resurrectionem Christi nondum fuit perfectè completa, nec proinde totaliter extincta.
36. Dices, Christus Joan. 19. jam moriturus protulit illa verba, *Consummatum est*, quibus significavit opus nostræ redemptionis esse omnino completum, subindeque veterem legem totaliter extinctam: Ergo tunc cœpit obligatio præceptorum legis novæ, ex quibus primum est de baptismo. Quare D. Thomas 1. 2. quæst. 103. art. 3. ad 2. ait: *Mysterium Redemptionis humani generis completum fuit in passione Christi, unde tunc Dominus dixit consummatum est, & ideo tunc totaliter debuerit cessare legalia, quasi jam veritate eorum consummata.*
37. Confirmatur: In morte Christi sacerdotium Aaron in sacerdotium Christi translatum est, quandoquidem Christus in ara crucis, ut verus & summus sacerdos, seipsum in sacrificium Patri æterno obtulit, juxta illud ad Hebræos 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æternam redemptionem inventa.* Item in eadem Christi morte tabernaculum antiquum in quo legis Mosaiæ sacrificia offerebantur, dissipatum fuit, & destructum, ut satis designavit velum templi in duas partes scissum: Ergo cum lex vetus non potuerit remanere absque proprio sacerdotio & tabernaculo, in morte Christi abolita fuit, & statuta lex nova gratiæ, subindeque præceptum Baptismi.
38. Ad instantiam dico verba illa Christi, *Consummatum est*, referri quidem ad ejus mortem, at non ut præcisam à resurrectione ipsius, sed ut ipsam includit; sicut enim nostra justificatio est unicus motus, duos terminos includens, nempe terminum à quo, qui est recessus à peccato; & terminum ad quem, qui est accessus ad gratiam: ita mors Christi & ejus resurrectio integrant unicum motum nostræ redemptionis & salutis, habentem duos terminos, videlicet Christi mortem, quæ destructum est peccatum, tanquam terminum à quo; & resurrectionem, quæ consummata est vita spiritualis animæ, tanquam terminum ad quem.
- Adde quod, sicut ad consummationem nostræ redemptionis & salutis, spectat, secundariò saltem, futura corporum resurrectio, in qua consummabitur vita spiritualis animæ: ita & à fortiori, resurrectio Christi, utpote cum sit

A fundamentum & exemplar nostræ resurrectionis futuræ, & in ipso Christo tanquam in capite. rinth. 15. dicit quod Christus resurgens fuit *caput ecclesie, quæ est ecclesia, quæ seipsum edificat, ut se exhibeat in gloria, non habens maculam, rugam, aliquid hujusmodi, sed ut completa & terminata per ipsam resurrectionem, ad quam fuit veluti via, utpote quæ*

B Ad confirmationem dico, falsum esse quod sacerdotium antiquum fuerit in puncto mortis Christi translatum in sacerdotium Christi, sacerdotium enim Aaron, quod erat proprium legis veteris, non debuit aboleri, donec sacerdotium Christi esset consummatum, & in perfectione, quæ indefectibilitate constitutum, quod non habuit usque ad ejus resurrectionem, in qua Christus vitam imortalem & indefectibilem assumpsit, unde tunc solum adimpleta fuit prophetia illa Davidis de Christo: *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Quæ illa oblatio quæ Christus seipsum Patri in ara crucis obtulit, non nisi ut conjuncta resurrectione, evacuaret antiquum sacerdotium. Similiter quoque ad tabernaculum legis Mosaiæ, licet in morte Christi inchoata fuerit ejus dissipatio, non tamen fuit consummata, nisi in resurrectione.

§. VI.

Solvuntur objectiones contra duas ultimas conclusiones fieri solitas.

C Contra tertiam conclusionem, in qua dicitur, Baptismum non fuisse in præcepto usque ad passionem & resurrectionem Christi, obijciunt primo. Judæus sufficienter de doctrina Christi instructus, ante ejus passionem tenebatur Christi legem suscipere, & Christianus esset: Sed hoc non poterat absque Baptismo, cum esset primum talis legis sacramentum: Ergo Baptismus erat in præcepto, ante Christi passionem & resurrectionem.

Respondet Medina, negando Minorem, per se nimis (inquit) temporis interstitio, ad suscipiendam Evangelij legem & Christianismum, necesse est necessarium Baptismum suscipere, quia non erat præceptum de Baptismo.

Sed contra: Cum lex Evangelij legem Baptismi contineat, impossibile erat Judæo, inveniendi Christo, legem Evangelij suscipere, nisi sacramentum Baptismi susciperet. Unde aliter respondet, dicendo nimirum, quod licet Judæus in illa hypothesi teneretur credere in Christum, non tamen legem Evangelij suscipere, sicut nec baptismum, cum ad neutrum Christus adhuc obligaret.

Dices, Gentilis qui ante passionem Christi convertebatur, tenebatur baptizari: Ergo & Judæus.

Respondet Soto negando consequentiam de paritate, rationemque disparitatis dat, quod cum Gentilis circumcidi non posset, tenebatur Baptismum suscipere. Sed licet hoc verum sit, respondendo quod vellet legem Evangelij amplecti, quod scilicet vel legem naturæ, vel legem scripturæ, vel legem absolutè quod non posset circumcidi, respondetur ad instantiam, negando licet Antecedens.

Obijciat secundò contra quartam conclusio-
nem, in qua diximus obligationem Baptismi ince-
pisse statim post Resurrectionem Christi. Apo-
stoli, etiam diu post Resurrectionem Christi, cir-
cumcisionem & alias ceremonias legales observa-
runt, ut ex actis ipsorum liquet, imò ipse Paulus
legis gratia magnificus prædicator, Timotheum
circumcidit, ut Actuum 16. legitur: Ergo falsum
est, quod statim post Resurrectionem virtus &
obligatio circumcisionis desierit, & obligatio
Baptismi inceperit, alias enim peccassent Aposto-
li observantes vel observare facientes legalia, quan-
doquidem non poterant eorum abrogationem in-
vincibiliter ignorare.

Respondet D. Hieronymus negando Antece-
dens, contendens contra D. Augustinum Episto-
las, legalia omnia statim à morte & resurrectio-
ne Christi, non solum mortua fuisse (id est non
habuisse amplius virtutem & obligationem) sed
etiam mortifera, ita ut peccarent mortaliter
qui illa observarent, propter quod dicit, nun-
quam Apostolos post resurrectionem Christi lega-
lia observasse secundum veritatem, sed solum
ex quadam pia simulatione, ne scandalizarent
Judæos, & eorum conversionem impellerent;
quæ simulatio non sic intelligenda est, quod illos
actus in quibus consistebant legalia, secundum
rei veritatem non exercuerint, sed ita quod illos
non operarentur tanquam legis ceremonias ob-
servantes.

Verum quia indecens videtur (ut docet D.
Thomas 1. 2. quæst. 103. art. 4. ad 2.) quod
Apostoli simulatione uterentur in iis quæ perti-
nabant ad salutem fidelium: idcirco melius res-
pondetur cum Augustino, concessio Antecedente,
negando Consequentiam, & ejus probatio-
nem; nam ante Resurrectionem Christi, usque ad
sufficientem divulgationem Evangelij legalia erant
quidem mortua, proindeque nullam virtutem
& obligationem habebant, non tamen erant
mortifera, quia illi qui ex Judæis erant conversi
ad Christum, poterant ea observare, dummodo
non sic ipem ponerent in ipsis, quod ea repu-
tarent necessaria ad salutem. Cujus rei optimam
offert congruentiam D. Thomas post D. Augu-
stinum, nempe quod sicut homines mortuos ser-
vari aliquandiu ante sepulturam contingit, ita le-
galia, quæ ut viva post Christi mortem servari
non poterant, rectè ut mortua usque ad Evange-
lij publicationem servata sunt, ut cum honore
mortua in ater synagoga sepeliretur, & ne homi-
nes existimarent, si ea statim omnino rejecissent,
vetitem legem fuisse abominabilem, perinde ac
idolorum Gentilium cultum, quem nulla un-
quam morâ sustinere Apostoli voluerunt: D. Pe-
trus autem idcirco circa illam legalium observan-
tiam, à D. Paulo reprehensibilis dictus est, quia
nimis adhærebat parti Judæorum, & plusquam
oportebat circa hoc sollicitum se exhibebat, unde
peccabat venialiter.

¶ Dices: Observantia quorundam legalium fuit
ab Apostolis præcepta Actuum 15. ubi dicitur:
*Usum esse Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra im-
ponere oneri vobis, quam hac necessaria, ut absti-
neatis vos ab immolatis simulachrorum, a sangui-
ne, & suffocato. At si legalia per mortem & resur-
rectionem Christi fuissent extincta, Apostoli
non præcepissent ea observari: Ergo tunc legalia
non solum non mortifera, sed nec etiam mortua
fuerunt.*

¶ Respondeo concessa Majori, negando seque-
ntem, V.

A lam Minoris: nam ut ait D. Thomas loco citato
in responsione ad 3. abstinentia à sanguine, suffo-
cato, & ab immolatis simulachrorum, fuerunt
præcepta ab Apostolis pro tempore, non ad ob-
servandum ceremonias legis, sed ut posset fieri
unio Judæorum & Gentilium: Judæis enim pro-
pter antiquam consuetudinem, sanguis & suffo-
catum erant abominabilia, & comestio immola-
torum simulachris poterat Judæis dare suspicio-
nem ne Gentiles redirent ad idololatriam, & idcirco
hæc prohi bita sunt pro illo tempore quo Judæos
& Gentiles adunare oportebat: procedente au-
tem tempore, cessante causâ, cessavit effectus,
manifestatâ Evangelicâ veritate, quâ Christus di-
cit quod nihil quod intrat per os, coinquinat homi-
nem, Matthæi 15.

B Obijciat tertio: Præceptum Baptismi non po-
tuit obligare ante sufficientem sui promulgatio-
nem: Sed non fuit sufficienter promulgatum
ante Pentecosten: Ergo ante illud tempus non
obligavit: Major est certa, lex enim ante suffi-
cientem promulgationem non obligat, ut docet D.
Thomas 1. 2. quæst. 90. art. 4. ubi sic discutit:
*Ad hoc quod lex virtutem obligandi obine-
at, quod est proprium legis, oportet quod applicetur
hominibus, qui secundam eam regitari debent:
talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam
eorum deducitur ex ipsa promulgatione, unde pro-
mulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habe-
at suam virtutem.* Minor vero in qua est diffi-
cultas probatur primo, quia usque ad tempus
Pentecostes Apostoli non proposuerunt populo
publicè Evangelium. Secundò non debuit
promulgari lex Evangelij nisi omnibus Mysterijs
Christi completis: Mysteria autem Christi non
sunt completa, nisi in ejus Ascensione. Tertio,
quemadmodum lex vetus non fuit promulgata,
nisi quinquagesimo die à Paschate Judæorum,
ita non debet lex nova promulgari nisi post quin-
quaginta dies à Paschate, sive Resurrectione
Christi: promulgationem enim legis Moysis, si-
guram fuisse promulgationis legis Evangelicæ,
docuerunt Augustinus Epistola 119. & Leo 1.
serm. 1. de Pentecoste,

C Hoc argumentum tangit difficultatem perti-
nentem ad Tractatum de Legibus, ubi Theologi
quærent, quanam promulgatio requiratur &
sufficiat ad hoc ut lex vim obligandi habeat? Ali-
qui enim contendunt ad sufficientem legis pro-
mulgationem, necessarium esse ut ita proponatur
& publicetur, quod ex tali propositione & publi-
catione possit moraliter in omnium notitiam de-
venire, unde propterea existimant non sufficere
ut publicetur in aliqua civitate, sive curia supre-
mi cujuslibet corporis politici, sed requiri ut fiat
magis in particulari per singulas provincias, aut
per omnes præcipuas civitates. Alij verò di-
cunt sufficere quod publicetur in præcipua civita-
te cujuslibet regni, aut supremi corporis poli-
tici, quamvis enim factâ hac publicatione non
peccent ij quibus adhuc non innotuit, hoc ta-
men non provenit ex defectu ipsius legis, sed ex
defectu notitiæ, ignorantia enim eos excusat à
peccato. Quæ opinio est communior, & confor-
mior consuetudini Curie Romanæ, cujus leges
in ea solum publicantur solemniter, & ex hoc
salvis particularibus juribus, creduntur per to-
tum orbem obligare, quamvis per accidens mul-
ti non peccent, juxta eorum præscriptum non
agendo, defectu notitiæ. Unde conformiter ad
hanc doctrinam, ad objectionem respondeo,

D Hoc argumentum tangit difficultatem perti-
nentem ad Tractatum de Legibus, ubi Theologi
quærent, quanam promulgatio requiratur &
sufficiat ad hoc ut lex vim obligandi habeat? Ali-
qui enim contendunt ad sufficientem legis pro-
mulgationem, necessarium esse ut ita proponatur
& publicetur, quod ex tali propositione & publi-
catione possit moraliter in omnium notitiam de-
venire, unde propterea existimant non sufficere
ut publicetur in aliqua civitate, sive curia supre-
mi cujuslibet corporis politici, sed requiri ut fiat
magis in particulari per singulas provincias, aut
per omnes præcipuas civitates. Alij verò di-
cunt sufficere quod publicetur in præcipua civita-
te cujuslibet regni, aut supremi corporis poli-
tici, quamvis enim factâ hac publicatione non
peccent ij quibus adhuc non innotuit, hoc ta-
men non provenit ex defectu ipsius legis, sed ex
defectu notitiæ, ignorantia enim eos excusat à
peccato. Quæ opinio est communior, & confor-
mior consuetudini Curie Romanæ, cujus leges
in ea solum publicantur solemniter, & ex hoc
salvis particularibus juribus, creduntur per to-
tum orbem obligare, quamvis per accidens mul-
ti non peccent, juxta eorum præscriptum non
agendo, defectu notitiæ. Unde conformiter ad
hanc doctrinam, ad objectionem respondeo,

E Respondet concessa Majori, negando seque-
ntem, V.
P iij distin-

distinguendo Majorem : Præceptum Baptismi non potuit obligare ante sui promulgationem, sufficientem ad rationem legis, concedo. Ante sui promulgationem, sufficientem ad tollendam ignorantiam ejus, & ad reddendum inexcusabilem ab ejus transgressione, nego. Similiter distinguo Minorem : Ante Pentecosten non fuit sufficienter promulgatum præceptum Baptismi, sufficienti ad tollendam ejus ignorantiam, concedo. Sufficienti ad rationem legis, nego. Tunc enim præceptum superioris incipit habere vim legis, potentis obligare subditos, quando superior ipsum exterius per modum imperij proponit tanquam princeps, aut publica persona : Christus autem ipsa die Resurrectionis præceptum Baptismi ita proposuit, dicendo Discipulis: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* Unde à die Resurrectionis cæpit habere vim legis ex se obligantis, quamvis hæc promulgatio non sufficeret ad tollendam ignorantiam illius, nec proinde ad reddendum homines inexcusabiles ab ejus transgressione. Et per hoc patet ad primam probationem Minoris: ex eo enim quod Apostoli usque ac Pentecosten non prædicaverint publice Evangelium, solum habetur quod ante illud tempus præceptum Baptismi non innotuerit mundo, non verò quod nondum habuerit vim legis & præcepti.

Ad secundam dico, eam quidem veram esse de promulgatione necessaria ad tollendam ignorantiam legis Evangelicæ, falsam tamen de promulgatione necessaria & sufficienti ad rationem legis; tunc enim Baptismus debuit habere vim legis & præcepti, quando cæpit habere suam perfectionem & virtutem, quod fuit à die Resurrectionis Dominicæ.

Ad tertiam probationem dico legem Moysicam promulgatione sufficienti ad rationem legis fuisse promulgatam ab eo tempore quo Deus eam dedit Moyli in monte Sina, tunc enim locutus est Deus ut princeps & legislator, subindeque ex eo tempore præcepta illius legis lata à Deo vim legis habuerunt, adeò ut ipsius prædicatio facta deinde à Moyse toti populo, non habuerit vim promulgationis necessariæ ad essentiam legis, sed tantum declarationis, ne homines ignorantiam ab ejus obligatione excusari possent: quare licet promulgatio illa legis antiquæ facta per Moysen, fuerit figura promulgationis legis Evangelicæ, faciendæ per Apostolos in die Pentecostes, hinc tamen non fit istam fuisse necessariam ad rationem legis Evangelicæ, sed tantum ad tollendam ignorantiam ipsius.

50. Dices, Si statim post Christi Resurrectionem, & ante publicationem Evangelij, à die Pentecostes inchoatam, Baptismus fuit in præcepto, Judæi ipsum invincibiliter ignorantes caruerunt remedio peccati originalis pro suis parvulis; quandoquidem in illa hypothese circumcisio non habuit amplius vim justificandi, seu delendi peccatum originale: Sed hoc non decebat divinam bonitatem: Ergo &c.

51. Respondent aliqui quos sequitur Vazquez, concedendo sequelam, non enim majus inconveniens reputant admittere quod toto illo tempore medio à Christi resurrectione, usque ad divulgatum Evangelium, pueri Judæorum & Gentilium caruerint remedio peccati originalis, quam infantes modò intra viscera matrum morientes, & illi qui nascuntur ex parentibus infidelibus, ad quos non pervenit prædicatio Evangelij Verum quia

A hæc doctrina nimis rigida & dura videtur, dum, tempore illo medio, parvulos recipientes circumcissionem, vel remedium legis veteris liberatos; divinam namque bonitatem deest ut toto illo tempore quo sustinuit legem Moysicam, non auferret, saltem pro parvulis tunc existentibus, ejus utilitatem.

ARTICVLVS II.

Quenam sit materia Baptismi?

Duplex solet distingui materia in sacramentis quæ constituent in usu rei sensibilis, rem scilicet & proxima: prima est res illa sensibilis quæ in signum & causam gratiæ assumitur, secunda verò est usus seu applicatio ipsius. De utraque agendum est in præfati, & breviter explicandum, quanam sit materia remota & proxima Baptismi.

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

Dico primò: Materia remota Baptismi est aqua vera & naturalis.

Conclusio est certa de fide, & definita in Florentino in decreto unionis, ubi aquam veram & naturalem assignat pro Baptismi materia, & in Tridentino sess. 4. can. 2. de Baptismo, ubi sic habetur: *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque idcirco illa Domini nostri Jesu Christi (Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto) ad metamorphosin quam detorserit, anathema sit.* Quibus verbis Concilium errorem Calvinii proferibit, qui sic verba illa Christi metaphoricè intelligi vult, ut per gratiam designetur, nec aliud intelligatur, quam per gratiam à Spiritu Sancto infusam, hominem spiritualiter regenerari. Proscribitur etiam in verbis error Seleucianorum & Jacobitarum, qui verba Joannis Baptiste de Christo, *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, pessime interpretantes, dicebant materiam Baptismi non esse aquam, sed ignem, unde ad baptizandos pueros, addidit nem quendam in fronte velingenis eorum imponebant. Damnatur pariter his Conciliorum definitionibus error Flagellantium, qui dicebant Baptismum aquæ suo tempore cessasse, & seque in mundum missos jussu Dei, ut se flagellarent, litteras ad hoc de cælo Romam missis, & super altare 12 Apostoli Petri repertis.

Potest etiam probari nostra conclusio variis Scripturæ testimoniis, quibus manifestè apparet, & elementaris, materia Baptismi designari. Nam Actuum 8. Philippus baptizavit Eunuchum Candacis Reginae Æthiopum, aqua elementari. Et cap. 10. Petrus jussit Cornelium & alios qui ipsum Dei jussu convenerant, baptizari in aqua elementari, his verbis: *Nuncquid aquam queritis habere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos?* Et jussit eos baptizari. Idem significat Apostolus ad Ephes. 5. ubi ait Christum tradidisse seipsum pro Ecclesia, ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ, in verbo vite. Quasi per verbum vite significando formam Baptismi, quæ vivificis verbis conficitur, & per lavacrum aquæ, materiam ejus designando, quæ in hoc solo elemento consistit.

Non desunt etiam congruentiæ, quas D. Tho. 2. 2. q. 84. art. 1. adducit.